

patet ex *Herodoti* testimonio, §. 1. hujus capituli allegato, ubi *Colchis* reliquis, imo *Aegyptiis* præponuntur, Ergo apud *Colchos* circumcidendi mos fuit antiquior, quam apud ipsos *Aegyptios*. Quam conclusionem utrum *Spencerus* & *Marshamus* velint suam facere, dubito. Quid? quod nec ipsa *Scriptura* S. semper hunc ordinem servare soleat. Cum gentes sæpe sine ordine collocet. Quod omnino & h. l. factum fuit. (2.) Nos contrarium potius ex hoc ipso loco *Jer.* probamus. Sic enim expresse dicitur, *omnes gentes esse præputiatas*, & notanter additur in *Hebræo* ñ emphaticum, quo indicatur, de his ipsis modo recensitis gentibus esse sermonem, inter quas etiam *Aegyptii* recensentur. Hinc & hunc locum probationibus nostris palmariis, capite præcedente adductis, annumerandum esse omnino censemus.

§. 6. Objicitur (6.) quod non possit determinari tempus, quo Circumcisio ab *Hebræis* ad *Aegyptios* dimanaverit. Resp. (a.) Non sequitur: Non potest ostendi tempus, quo aliquid factum est, Ergo plane non est factum. A negatione enim determinationis temporis ad rem ipsam negandam *N. V. C.* Nec potest ostendi tempus, (teste *Magnif. Dn. D. Fecht. in Coll. privatiss. Loc. de Bapt. §. 1.*) quo immersio infantum, recens natorum, in aquam, in *Veteri Ecclesia* usurpata, in plerisque locis desit; & tamen deluisse eam, ex praxi hodierna manifestum est. (β.) De Circumcisionis ad *Aegyptios* dimanatione variæ sunt *Autorum* opiniones. *Alii* enim eam ad illos dimanasse putant ab *Ismaëlitis*, ut *Heidegger. tom. 2. Hist. Patriarch. Exerc. 7. n. 28.* Conf. *Bynaeus Dissert. de circumcissione Christi apud Tenzel. in den Monathl. Unserer Redungen anno 90. p. 1090.* *Alii* tempore *Salomonis*, ut *Bonfrenius, vid. van der Weyen l. c. p. 336. §. 214.* *Sam. vero Basnagius in Exerc. Histor. Crit. p. 120.* persuasissimum sibi habet, circumcisionem per *Josephum* ad *Aegyptios* fuisse derivatam. Cui etiam aliquo modo assensum præbet *Herm. Wits. in Egypt. l. 3. c. 6. p. 227.* ubi hunc circumcisionis processum ponit: Primus eam à Deo accepit *Abrahamus*. Ab *Abrahamo* per *Ismaëlem* acceperunt *Arabes*